



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

Illvstrissimo Ac Reverendissimo Domino D. Evgenio Alberto D'Allamont,  
Nono Gandensium Episcopo, Domino Territorii S. Bavonis, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

ILLVSTRISSIMO  
AC REVERENDISSIMO  
DOMINO  
D. EVGENIO ALBERTO  
D'ALLAMONT,  
NONO GANDENSIVM EPISCOPO,  
DOMINO  
TERRITORII S. BAVONIS,  
COMITI EVERGEMIENSI,

*Ex Comitibus de Brandeville, Baroni de Bussy,  
Toparcha de Malandry, &c.*



Elicitatem ab hâc, quam passim  
miseram vocamus, vitâ, elimina-  
tam prorsus esse si quis credit, Præ-  
sul Illustrissime, neque vmquam  
mortalibus, quamdiu mortales  
sunt, dari esse verè felicibus & for-  
tunatis, is quidem meâ sententiâ id credit perpe-  
ram atque abs re. Communis fateor hic est error;

\* 2

&



## DEDICATORIA.

& vulgi sermonibus ita increbuit, vt in rem iudicatam planè abierit. Qui tamen si eum penitius introspicimus, non tam error dicendus est, quàm errare volentium, erroresque suos interim excusantium, popularis quidem, sed inutilis prætextus

Vitam hanc mortalem, miseram ipsi facimus: & talem dum effinximus, tum demum vocamus miseram, nobisque, quasi re benè actâ, abblandimur de conuitio. Miseras, inquam, omnes in vitam nostram nos ipsi inuehimus; & tum vitam malum accusare, quàm nos. Quasi-vero aliquid id miseris conferat solatii, quòd sibi persuadeant alienâ sese culpâ aut vitio infelices esse, & non suo; miserasque se non tam domum conuehere, quàm aliunde aduentitias, aut etiam per vim illatas, pati. Miserum itaque qui se fatetur, fateatur sanè; per me id licet: sed nemini conuitium faciat, præterquam sibi; etenim de suo est miser. Neque eiusmodi hominis admodùm me miseret: non enim est alius, quàm quem se esse vult.

Istud quidem fateor, non eo nos in loco adhuc esse, vbi voluptas omnis, sibi que semper constans rerum amœnitas affluat, quæ mentem dulcedine, & corpus ipsum grato jucundoque sensu, totum denique hominem numquam interruptâ suauitate demulceat. Cœli est ista felicitas. Isthic amœna  
sunt



## DEDICATORIA.

sunt omnia, omnia festiua, blanda omnia; nihil est isthic, quod voluptati percipiendæ officiat. Fateor ita est.

Ast istud jam quæro, an non detur, nisi delicias inter, vlla felicitas? An ergo tanta res solis voluptatibus circumscribitur? An non inter aspera & incommoda suus etiam felicitati est locus? En vulgi errorem manifestum, qui que omnes passim corripit. Felicitatem à Commodo non distinguimus, nec ab Incommodo Miseras. Voces autem si confundimus, quid jam miramur si in rebus ipsis seligendis, à verò turpiter aberramus?

Ego fanè felicem eum voco quisquis Gaudet: commoda sint in quibus versatur an incommoda, aspera sint an jucunda, id quidem ad rem admodum parum facit, iis modò gaudeat. Gaudet autem quisquis contentus est suo; nec aliter vult aut se, aut res esse, quàm prout sunt. Sanè qui rebus suis adjectum aut ademptum quidquam cupit, etiam si medias inter Paradisi sit delicias, adhuc miser est, inque quibus interest voluptatibus plenè fruitur. Etenim ei deest, quod in deliciis maximè est commendabile, Gaudium; quies inquam animi ad aliena se non extendentis, sed incumbentis suo.

Gaudii seu Felicitatis, inter hujus vitæ non tam miseras quàm vicissitudines & incommoda, acquirendæ



## DEDICATORIA.

quirendæ artem, volumine nuper edito vtecumque porreximus: eiusque scopus erat ita animum componere, vt incurrentem in se fortunam, (qualiscumque demum fuerit, prospera an aduersa parum interest) imperturbata mens excipiat. Id autem assequetur, quisquis id à se impetrarit, vtei in omnibus rerum euentibus, naturæ casibus, fortunæ denique reuolutionibus, placeat rerum omnium director Deus, eiusque sanctissimis placitis acquiescat. Artem itaque semper Gaudendi ad gnomen hanc reduximus, *Placeat tibi Deus*. Atque hoc modo difficultatem omnem complanasse, atque Artem Gaudendi videbar mihi penitus exhausisse.

Verùm cum rem altius attendo, istud illico mihi occurrit, quid demum quieti meæ aut Gaudio collaturum sit Deus mihi quòd placeat, si Deo ipsimet displiceo? Quid me iuuerit quòd rebus omnibus acquiescam, quòd quæ Deus circa res meas agit approbem, si ea interim ago, quæ jure merito Deo displiceant, unò & mihi? Placebit tum quidem id quod sum, quia talem esse me voluit Deus: at displicebit id quod ago; ago enim quæ non vult Deus. Deo autem si displiceo, quid quæso bonæ rei aut spei mihi factum est super?

Extendenda itaque fuit semper Gaudendi Ars. Perfecta enim vt sit, enitendum est vt dum mihi placet

cet



## DEDICATORIA.

cet Deus, ipse etiam sim ejusmodi, vt merito etiam placeam Deo. *Placeat itaque mihi Deus, & ego placeam Deo*; atque in his duobus cardinibus vertitur totum Gaudendi artificium.

Hoc ergo nunc ago: artem inquiri quã ita effingatur animus, vt nostris actionibus Deus ipse acquiescat. Quod si assequor, quid vltra exquiri vt semper, & quidem totus Gaudeam? quæ enim in me erunt omnia, omnia cum placuerint quæ circa me aguntur extrinsecus (quod primã parte jam exegimus) & cum ea quæ à me aguntur intus, fuerint eiusmodi, vt nec mihi possint, nec Deo displicere. Istud est, quod hoc volumine inquirimus.

At verò ne quis fortè hanc Artem existimet esse difficilem, aut quòd difficilia ei assequendæ adhibenda sint adminicula, aut quòd molestum sit actiones suas ita componere, vt Deo, Menti sagacissimæ, approbentur; istud etiam comperio, quòd Artem illam indaganti summo sit solatio, nunquam actionem vllam displicituram Deo, quæ homini eam exhibenti non displicuerit, & ab ipso peruerfitatis non condemnetur: & rursus omnia à Deo approbanda, quæ mens propria sincerè & bonâ fide comprobabit. Itaque cuiuslibet homini res tota secum est: & si se ita composuerit, vt sibi ipsi ratione bonâ placeat, habet Artem quam inquit, & placet Deo.

Cl-



## DE DIOCIATORIA.

Clariùs loquar si dixerò, patère tandem, totam Gaudendi semper artem, aut potiùs Artis hujus summum complementum, in recto Conscientiæ arbitrio & efformatione consistere. Conscientia enim sola te tibi gratum potest reddere, ac proinde & Deo. En quâ parte eruenda atque effingenda sit mortalium felicitas. Domi eam nasci dicebat <sup>Sen. ep. 23.</sup> olim Seneca. Errat aliquantulum Philosophus; non nascitur domi, sed domi effingitur & efformatur. Porrò videndum est quo modo. Modus autem artem continet. Hanc itaque efformandæ ritè Conscientiæ jam damus; & quod mireris, facilem, planam, nullique scrupulo intertextam aut expositam.

Scio quidem vltimis hisce annis per omnia sacra peruagatam esse quorundam licentiam; idque Theologiæ veteris, veterisque Religionis restituendæ pulchrâ quidem, sed falsâ sublaruâ: scio etiam per hos nouarum rerum apprime cupidos dum veteres præ se ferunt, multa jactitata esse quibus multorum animi admodum fuère perturbati, quasi si rectam Conscientiæ efformandæ & reformandæ institutionem hætenus aut Theologi non tradiderint; aut etiam, quod dictu est horribilius, Ecclesia ipsa per multos jam annos ignorarit, aut certè neglexerit; ita enim volebant illi: vnde sine dubitatione vllâ, ingentes piorum hominum animis de



## DEDICATORIA.

de salute suâ sollicitis, tempestates oboriri fuit necesse.

Tamen vti spero componam omnia; illudque euidenter ostendam, errorem nullum communi vſitatæque Ecclesiæ praxi, in rectè efformandâ Conscientiâ irrepsisse, sed eos tantùm temerè & fingi & obuolui. Nihil dissimulabo eorum quæ passim ab aduersariis obijciuntur magno studio: sic nihil dum subterfugio, nihil etiam ad rem quod sit, Lectorem effugiet. Technas quorundam & dolos si quando detego, id quidem necessitatis fuit; aliter enim institui non potuère rectè volentium animi. cùm enim vitanda sit omnis fraus, sanè detegenda est, ne quis intricetur incautus. Nihil tamen ago per conuitium; memor ejus Religionis esse me, non ad eò quòd Societatis sim, quàm quòd præcipuum est, Christianæ, quæ opprobria & scommata nouit ferre, non regerere.

Aduersariæ verò partis dictoria in Theologos præclarissimos, probatissimæque virtutis viros temerè conjecta dum afferro, id quidem eâ mente ago, vt pateat veritatem contumelias non exhorrescere, iis non turbari, multò minùs de suo loco deturbari; & vt constet omnibus æquitatem rei spectantibus, haud parum plus datum esse perturbatæ mentis contentioni, quàm Christiana charitas, & tam sanctæ rei indagatio requirebat.

Placidè  
Diuina

\*\*



## DEDICATORIA.

Diuina tractanda sunt; placida enim est veritas, placidus Deus. Et hic quidem erit scribentis deinceps stilus: placidus inquam, nemini injurius, omnibus verò, etiam non Theologis Theologica dum pertracto, planè perspicuus, qui què nihil tam optet, quàm intelligi.

Cæterùm quamuis Theologica quædam de Conscientiâ erroneâ, de Ignorantiâ inuincibili, de opinionum Probabilitate, de dubio, de Contritionis & Attritionis tum naturâ tum efficacîâ, de Confessione, de Satisfactione Sacramentali & Pœnitentiis injungendis, de Certitudine denique obtenti statûs Gratiæ pertractem dogmata, eaque oratione diffusâ & quam ab Ecclesiaste rebus abstrusis adhiberi par est, vt veritas sic expansa omnibus sit aspectabilis: tamen plurima præter hæc affero ascetica, moribusque effingendis accommodata documenta, quæ Concionatoribus explananda passim relinquunt Theologi: quæ tamen Conscientiæ rectè efformandæ, aut etiam actionibus reformandis maximo futura sunt vsui; neque propriæ dumtaxat, sed quòd animarum Curatoribus fortassis ingratum non fuerit, alienæ Conscientiæ dirigendæ adminicula prorsus necessaria. Nihil autem eorum quæ in hanc rem conducunt, arbitrò prætermisum.

Atque his ritè peractis, tum demum ostendo  
(quod



## DEDICATORIA.

(quod totius orationis scopus est vltimus) ex Conscientiâ sic efformatâ & composîtâ, Gaudium omne existere, quod in hâc mortali vitâ datur consequi. Nimirum ex bono Conscientiæ testimonio, certitudinem eam emicare, quâ quis sibi de Diuinâ amicitâ certò obtentâ, possit iure optimo gratulari: Conscientiæ suæ sententiâ obarmatum, nec fortunæ vicissitudines timere, nec prosperis efferrî, nec dejici aduersis; neque hominum intima quæque perscrutantium & arrodentium aut oculos, aut ora subterfugere, neque Dæmonum impugnationibus perturbari; neque tandem, quod in naturâ maximè est terribile, mortem ipsam exhorrescere.

Suâ nimirum Conscientiâ obuolutus animus, mortem corporis lætus excipit, quia corpori immerfus cum esset, vixit lætus. Lætus autem vixit, quòd ita res suas ageret actionesque omnes institueret, vt à Conscientiæ dictamine numquam se passus sit dimoueri: neque ad ostentationem quidquam, omnia verò ad Conscientiam retulerit: recteque facti mercedem non ex populi sermone (quem tamen non eximuerit) sed ex Conscientiæ testimonio petierit, suo tempore ab ipso Deo, cuius vicarias partes agit Conscientia, æternitate totâ liberaliter exhibendam.

Et hæc quidem sunt, Præsul Illustrissime, quæ

\*\* 2

hoc



## DEDICATORIA.

hoc volumine pertracto; quæque multò Tibi præ aliis credibilia videbuntur; utpote qui & in Te ipso Conscientiæ bonæ effecta amœnissima quotidie experiris; & qui hominem rei benè actæ Conscientiâ obfirmatum Tuis ipse oculis vidisti de morte in discerpto corpore, suoque in sanguine triumphantem. Frater is Tuus fuit, Heros inclytus IOANNES ALLAMONTIVS, Montis-medii pro Rege nostro nuper Præfectus; natu major Te, non tamen animis. Iuuat facinus heroicum delibare; neque abs re. Earum enim rerum, quarum documenta nos scribimus, facitis Vos exempla, & verò etiam datis.

Marte, & Regis sui studio plenus, ab aulâ Madritensi, in quâ corporis Regii præsidariis cohortibus cum vicariâ potestate præfuerat, in Belgium rediit ALLAMONTIVS anno 1657. Mommedio, vrbi in Lutzenburgensi Ducatu munitissimæ præfurus posthac, Auorum exemplo; quasi si ALLAMONTIORVM familiæ id esset proprium, patriæ suæ res afflictas sustentare. Urbem ingressus, eodem quo Præfecturæ admotus est die, illicò obsidione validissimâ cingitur. Latere non poterat tanta virtus, ne die quidem vnicâ; non itaque non poterat confestim pertentari. Præsidium erat exiguum, si numerum spectes, & Præfectum excipias; viri totâ Vrbe septingenti triginta sex; milites inter hos  
quin-



## DEDICATORIA.

quingenti viginti nouem: aqua nulla nisi quam  
cœlum dat, & quæ cisternis suo tempore excipi-  
tur.

Horum credo meminisse Te, vt qui toto obsi-  
dionis tempore, singulari sanè industriâ, aquæ ad  
dimensum militibus ciuibusque viritim distri-  
buendæ curam vtrò in Te susceperis, virtutis Fra-  
ternæ non futurus spectator merus, sed & consors,  
imò & æmulus. Scimus sanè vt partes Tuas ege-  
ris, quas in defendendâ Patriâ Tibi dignitas Eccle-  
siastica permittebat. Tum certè cùm Fraterno  
gladio sustentabatur publica res, ciues militesque  
ad agendum fortiter, Numinisq̃ manum implo-  
randam, pro concione publicè adhortari Tuus est  
labor. Et ne periculorum immunis esses, per ipsa  
mœnia circumcurstantem Te vidit Mommedium,  
non tam Martem quàm pietatem spirantem; ne-  
que Regia signa aut arma circumferentem, sed  
Beatissimæ Virginis imaginem manu protenden-  
tem, cuius aspectu non pugnantès tantùm milites,  
sed & maximè ex vulneribus faucios generosè oc-  
cumbentes animabas, vt qui fortiter egerant, for-  
titer etiam, id est Christianè occumberent. Iis assi-  
stere, Confessiones morientium excipere, eosque  
tandem ad mortem piè subeundam componere,  
Tuus est labor, & dignus Te.

Pugnat interim fortissimus Frater Tuus, atque  
armis



## DEDICATORIA

armis Patriam sustinet. Præfetti munus expleffe sibi non videbatur, nisi & fortissimi militis partes ageret, inter perpetuos hostium assultus, quàm acer consilio, tam promptus manu. Infinitus sim, si quæ fortiter armis gessit, enumerem; inter ipsos hostium gladios, quasi si luderet, semper intrepidus, quia semper securus sui; quodque mireris vnicè, nec diffitebuntur aduersarii, semper victor. Hostili ferro numquam quidquam cessit, nec valli glebam vnicam amisit, nisi quæ in ventos abiit, aut in ruinas. His autem ipsis, valla noua suggestusque opponere, summa Ducis fuit industria, & militum labor.

Sed quid laborem dico? Certè ad mœnia reparanda inter hostilium tormentorum confertos globos, cum valla conscenderet Dux fortissimus, quasi si ad triumphos iret, fidicines instrumentis non bellicis sed musicis instructos præ se agebat choragus ipse festiuæ turbæ, idque non vnâ tantum sed iteratis sæpè vicibus. Sequebatur autem non militum modò & ciuium, sed & mulierum puorumque confertus globus, saltu immodico gestiens quod ad vallorum ruinas restaurandas ducerentur, sed ab ALLAMONTIO. Sic nempè vbi dux est in delicijs, per choreas & tripudia, etiam ad mortem itur intrepidè. Non fatigabantur hisce saltibus obsessorum aut corpora aut animi, quibus tamen defa-



DAEIDI OCTAATCO RIIAI

defatigabantur arma Gallica. Duos penè menses  
hâc virtute stetit Vrbs, quæ primæ hostium im-  
pressioni, ob Præfidiariorum paucitatem cessura  
credebatur. Tantî interest quo duce gerantur  
res.

Singula persequi non est animus, neque verò  
etiam instituti est mei: istud est, quod quartâ Au-  
gusti contigit. Albo sanè calculo ab ALLAMONTIIS  
signandus est hic dies, quem tam nobilis sanguis  
cruentavit. Cecidit hoc die IOANNES ALLAMON-  
TIVS, & cum ipso ALLAMONTIANI sanguinis pro-  
pagandi spes. Cecidit inquam; nam ita passim  
loquimur: sed si seriò rem expendimus, nullo casu  
surrexit altiùs domus hæc inclita, quàm quò credi-  
tur corruisse. Hic certè, si vsquam, patuit, quid  
sit rectè factorum Conscientiâ munitum mori, ex-  
emplo posteris verè memorabili.

Aduenerat in castra sua Serenissimus Gallix  
Rex ruinam Mommedi, vti credebatur vltimam  
spectaturus. Vltimam eo die non vidit, nisi rui-  
nam Vrbs vltimam, dixeris mortem ALLAMONTII.  
Certè non poterat virtus tam eximia in Momme-  
dianis faxis, tamquam in theatro, pro rei dignitate  
exhiberi, nisi spectatorem haberet coronatum,  
& sic dignum se. Habuit hunc profectò; & qui-  
dem, quod paucis contigit, in ipso habuit actionis  
contra se, sed pro Rege suo & patriâ sibi concreditâ  
fortiter



## DEDICATORIA.

fortiter præstitæ & exhibitæ, encomiasten verè  
Regium. En facinoris prorsus heroici synopsis  
breuem.

Duo immenso molimine, rupes inter, ab hostibus  
excavati erant cuniculi, qui nitrico pulvere subje-  
cto & accenso, duo etiam Urbis propugnacula in-  
genti ruinâ eodem temporis momento prorue-  
rent, apertamque oppugnatoribus in Urbem viam  
darent. Frangeret alium tam præsens periculum,  
cui imbellior fuisset sanguis, quam qui in nobili  
ALLAMONTHI pectore æstuabat. Ruinam expectat  
intrepidus; certus aut eam à Patriâ propulsare, aut  
illâ se inuoluere.

Scis Præsul Illustrissime, quo vultu peracta tunc  
sint omnia. Spectator fuisti facinoris tam egregii,  
imò & pars. Nosti enim ut in ipso S. Andreae pro-  
pugnaculo, cui ruina parabatur, aram aperto sub  
cœlo instruxeris, ibique pro rei bene gerendæ e-  
uentu celebraueris, Fratre Tuo præsidarios inter  
milites flexo poplite, nequidquam vrente sole, pie-  
tatis egregiæ exemplo raro Deum deprecante, &  
uti prorsus est credibile, se pro suorum incolumita-  
te & Regis obsequio debito deuouente. Quid  
jam non audeant Deo, Regique suo deuota Fra-  
trum pectora.

Vix sacris peractis, ecce tibi subito subjectis  
ignibus fragore horrendo diffilière vtrunque

Martis



## DEDICATORIA.

Martisantra. Contremuit Vrbs vniuersa, non tremebant tamen Vrbs defensores. Cuniculorum alter parum admodum labis intulit; in rupem impactus resiliit flammæ vis, atque irritò conatu in ventos abijt. Alter quantumuis ingenti ruinâ mœnia subuerteret, nihil etiam quidquam hostiles promouit impetus: etenim vbi rupem non inuenit, inuēnit ALLAMONTIVM ipsâ rupe fortiorem; atque illico totius machinæ stetit furor.

Corruerant immani lapsu propugnaculi S. Andree facies vna, latus anguli, magnaque pars cortinæ: cùm ecce, disculsâ nube quam fumus Soli obtenderat, apparet pro vallo totus in armis ALLAMONTIVS, aperto pectore excepturus hostilem vim, quamuis ducenti tantùm superessent præfidarii armis apti. Stetit in hostium conspectu toto corpore aspectabilis, imperterritus ipse dum hostibus metum facit. Tam perfunctoriè ingentem Vrbs hiatum vidit, vt illi reparando, quasi per lûsum, fidicines aduocarit. Canunt illi, dum foris fremunt tormenta hostilia. Interim tantâ contentione à ciuibus, foeminis, imò & pueris ad musica instrumenta sibi jam dudum cognita accurritur, vt breui tempore, dum omnes incumbunt operi, sudibus, fascibus, palisque transfixis, in ipso hostium conspectu, hiatum quantumuis ingentem obturarent.

\*\*\*

Acta



## DEDICATORIA.

Acta jam erant omnia, si præcipuum exceperis quod jam jam instat facinus ALLAMONTII. Ciues magnâ ex parte jam abcesserant, cum Præfectum subit cura spectandi singula, & pertentandi an ex arte & pro periculi necessitate peracta sint omnia. Descendit itaque è vallo fortis Heros, & dum rebus gerendis totus interest, ecce fatalis globus tormento hostili excussus palum ingentem terræ infixum perfringit, eoque perrupto sinistram ALLAMONTII crus labefacit, & tantum non à reliquo auferit corpore. Eodem impetu assula vno pede longa è palo tormenti vi disrupta, vnâ cum gladii capulo in quem fortè impegerat, ventris ima fædo vulnere dissecat, & in ipsa fertur viscera. Concidit in se prolapsus corpus Viri, at numquam animo magis stetit.

Adeste jam quotquot estis Virtutis Heroicæ admiratores & præcones, ALLAMONTIVM spectate prolapsis vndique visceribus & intestinis, suo sanguini innatantem: neque fortis Viri documenta ab antiquis Heroibus posthac petite, quæ vobis nascuntur & dantur domi. Gemitum in tanto corporis afflicti sensu nullum penitus expressit dolor. Imò ne doluit quidem: gratulabatur quin etiam sibi, tam gloriose quòd jaceret. En hominis in morte tam crudeli planè imperterriti specimen præclarum & argumentum.

Ad



## DEDICATORIA.

Ad primam tam inopinati casûs famam accur-  
rere vndique perturbati Præsidiarii: & cum nemo  
esset qui tanto malo non ingemisceret, ipse solus  
solabatur omnes vultu immutato, semper eodem,  
& semper suo. Peccata apud Sacerdotem ritè &  
summis Christianæ pietatis palàm editis iudiciis  
expiat. Tum verò quasi solutus omni curâ, nullâ  
sui corporis habitâ, Vicarium sibi mortuo Præfe-  
ctum substituit. Et, quòd imperturbati animi sum-  
mum arbitror argumentum, cum quosdam primo-  
rum ordinum ductores circumstare se cerneret,  
quorum ob priuatas injurias, tectâ odia, obsidione  
peractâ in apertam flammam eruptura facilè con-  
jiciebat; concordiam se coram inire illico, injurias  
mutuas Sibi in hoc articulo constituto condonari  
præcipit; veteresque inimicitias componere, mo-  
rientis jam est cura.

Quàm alta pax in illius pectore sit necesse est, qui  
ipso mortis in agone, tam seriò procurat alienam.  
Certè tam tranquillâ est mente, vt eo ipso in statu,  
Fratri suo, Tibi inquam Præsul Illustrissime, vul-  
tum subtristem, qualem in tali casu fert natura, ex-  
probrarit quasi indignum & Te, & Se. Crucem  
ordinis equestris S. Iacobi symbolum & Insigne, de  
collo detractum, Tibi tradidit cum mandatis quæ  
Regi suo deferres, executum nempè quod præ-  
sens sanctè promiserat: etenim Urbem sibi contra-  
ditam



## DEDICATORIA.

ditam, ad mortem vsque defendisse; eamque sese jam prolapso, nihilominus adhuc stare.

Eo ex loco in domum, quam vix die vnico incoluerat, cum in manibus diu noctuque fuisset assiduus, inter amicorum manus deportatur. Nolo hic complorationes & gemitus populi accurrentis describere; non paritur fletibus aut quæstibus sibi parentari Virtus tanta. Hic tandem Religiosis Ordinis sui vestibus indui petiit Religiosus Miles, ne non religiosè occumberet. Cumque ab omnibus, si quid errasset, ignosci sibi piè Christianeque postulasset, inter circumstantium gemitus, Sacramenta vltima sibi adhiberi petiit, & impetrauit. Sic contra omnia extremi agonis discrimina insigniter munitus, Fratris manum, Tuam inquam fronti suæ imponi postulat, vt Sacerdotis, sic enim aiebat, præsidio tutus moreretur.

Ne quæso, ne me patere Præsul Illustrissime vltra progredi, neque adferre verba vltima, eaque suauissima, quibus Tibi Generosissimam Matrem commendauit, atque vltimum dixit Vale. Nimis hæc sunt tenera, quàm vt sine sensu possint à me proferri, aut in memoriam reuocari à Te. Tandem ad circumstantes conuersus, voce elatâ & clarâ, animo autem semper sibi simili, testatus est palàm, lætum sese mori, quòd Regi & Patriæ præclarè impensam animam, Deo tandem redderet. Immutatus

tus



## DEDICATORIA.

rus est hîc ei paullulum color hæctenus sibi confans & viuidus ne non mori videretur: & vix cum morte luctatus, expirauit. Quid enim luctandum erat cum morte, quam non tantum admitterebat non inuitus, sed & alacer excipiebat? Hic finis tanti Viri; sed gloriæ consecutæ, hoc initium.

Non dissimulandum tamen est, propugnaculum S. Andreae, quod cadentem excepit ALLAMONTIVM, jam olim Carolo Quinto imperante à IOANNIS atauo ANTONIO ALLAMONTIO, Mommedii tunc Præfecto fuisse exædificatum. Quàm parum sciebat nobilis Atauus, se theatrum Abnepoti componere, in quo partes suas heroicè agendo, tandem gloriosè occumberet? Munimentum Urbis se dum existimat construere, sanè Monumentum parat, quod occumbentis domus ALLAMONTIÆ cruorem bibit. Quid dico? Monumentum profectò præclarum erigit totique Orbi aspectabile, in quo tam Nobilis sanguis triumphet. Certè si quod rupibus & saxis insculpitur æternum est, æternitati Mommedianis in rupibus inscriptus est sanguis ALLAMONTIVS.

Et hæc quidem Conscientiæ inter acerrimas mortis angustias intrepidæ exempla in Heroë verè inclito Fratre Tuo, vidisti Præsul Illustrissime: vidisti inquam, de morte ipsâ rectè factorum Con-

\*\*\* 3

scien-



## DEDICATORIA.

Scientiâ triumphantem. Non tamen hæc eò Tibi commemoro, quòd alieno exemplo demonstrare mihi sit animus quanta sit Conscientiæ sibi constantis vis, cum eius indolem & virtutem Tute experiaris ipse quotidie. Malui tamen ex Fratrem Tuo potius quàm ex Te exempla depromere; tum quòd non aliena me credam asferre dum Fratrem propono, & in Fratrem alterum Te; tum etiam vel maximè, ne modestiæ Tuæ, laudes suas aspernanti, quidquam officiam, si fortè in præclarissimè à Te acta, pro rei dignitate coner excurrere.

Patietur tamen Humanitas Tua me virtutem eam venerari, quam Pontifices Regesque nostri, non tam annos quàm merita expendent, ad sacras Infulas euexere. Non ferebant eam domesticos intra parietes occultam stare sibi que soli facere delicias, nisi sese exinde etiam per Ecclesias Belgicas cum Prouincialium fructu & admiratione distenderet.

Quàm verò cumulatè id à Te sit præstitum, testis est cum Ruremundâ tota Geldria, absentiam Tuam dum deplorat. Et meritò: Pastorem enim sui amantissimum in Te amisit, & quidem eum qui ex summi Pastoris D. Petri mente & institutione, non Pastor tantum, sed & *forma gregis factus fueras ex animo*: adeò vt in Te non tam Episcopi

1. Pet. 5.  
v. 4.



## DEDICATORIA.

scopi auctoritatem suspicerent, quàm vera exempla.

Certè admirationi fuit, quòd tot inter quæ dignitatem tantam circumstrepunt negotia, Matutinis in templo Cathedrali precibus quotidie indefessus assisteres; quibus per Dominicos Festosque dies etiam solemne sacrum, precesque Vespertinas adjungeres. Quantà verò populi approbatione videbant te supplicationibus omnibus, tum quæ Vrbe totà, tum quæ templi parietes inter instituebantur, summâ veneratione interesse, & Pastoris instar gregem suum ad Agni pro nobis immolati triumphos ducere, aut potiùs circumducere in triumphum?

Templorum nitor, altarium splendor, Diuini cultûs magnificentia propriis etiam sumptibus à Terrestaurata, non in Cathedrali solum D. Christophori aede, sed totâ passim Prouinciâ, in quâ tantorum bellorum deuastationibus, quàm heterodoxorum viciniâ, & fortè etiam Sacerdotum inuriâ multum de Ecclesiasticâ dignitate templis fuerat detractum, veri Pastoris pro grege suo impensè solliciti, curam clamant. Viderunt sanè columbaria in iis extructa (adeò in contemptum sacræ aedis venerant) confringentem, arcas cæteramque popularium suppellectilem quibus conferta vix populo patebat templi area, passim Tuis etiam manibus expor-

tan-



## DEDICATORIA.

tantem, expurgantem quinimo scopis sordes; idque ardore tanto, & animi impetu tam sacro, vt non immeritò *recordati sint discipuli Tui, quia scriptum est, zelus domus tua comedit me.* Ioan. 2.  
v. 17.

Iam verò quid attinet huc afferre quantâ contentione non pro populo tantùm ad confertissimas conciones verba faceres, sed pueris ipsis, agnis inquam teneris, vt verus Pastor, doctrinæ pabula pro Catechismo præberes ipse, & alios ad tam sanctum munus tum verbis, tum etiam præsentia Tuâ animares? Quanto animi Tui gaudio, & præmia bene merentibus distribuebas Ipse, & ad Fidei constantiam inter hæreticos fortiter tenendam excitabas? Sanè ad sacram militiam suscipiendam tirones novos sacro Oleo inungere, & Confirmationis Sacramento munire, tam indefessum scimus Tibi studium fuisse, vt vno die prorsus ad sex millia à Te constet fuisse Confirmata. Adcò vt cum præ laboris contentione vires omnino deficerent, iis reparandis ad lectum fueris deportandus. Sed non reficitur lecti mollitie, Virtus laboribus pasci solita. Cùm enim plurimos adhuc superesse fuisset nuntiatum, qui longo locorum interuallo Confirmationis Sacramentum suscepturi aduenerant, eoque frustrati essent abituri, tanta pium Pastoris animum ouium suarum subiit miseratio, vt inuocato D. Francisci Xauerii Ethnicos olim indefesso

so



## DEDICATORIA.

solabore baptizantis auxilio, ad templum Te reduci iusseris: vbi conspectâ ouium Tuarum multitudine opem Tuam exposcentium, ita subitò accreuerè vires antea attritæ, vt cùm paucissimis Confirmandis non credebare futurus par, adhuc ad aliquot millena, & animi suffecerit, & verò etiam corporis vigor. Numquam languent materna viscera, vbi de infantium periculo agitur: quin & ex ipsâ sollicitudine vires sumunt.

Taceo nunc Visitationes totâ Diœcesi maximo labore & pari fructu institutas: tanto autem omnium cum applausu, vt cum earum causâ, loca hæreticis subdita adire non rarò fuerit necesse, adeò labori sancto heterodoxi non succensuerint, vt ad stuporem omnium, summo Catholicorum cum applausu, ipsi hæretici Præsulem tantùm visuri vndique accurrerent, Teque venerabundi passim exciperent: imò & in plateis, benedictionem, Crucis signo dari solitam, flexo poplite Orthodoxis intermixti supplices exposcerent. Quid quòd & ab ipsis etiam aduersæ sectæ Magistratibus summo honore mensæ publicæ fueris adhibitus, & quod ante Te Præsulum contigit nemini, tormentorum bellicorum festiuo applausu ab ipsis acclamatus, eorumque fauore non pauca nec exigua Catholicis beneficia

\*\*\*\*

ficia



## DEDICATORIA.

ficia fueris consecutus ! sic nempè nusquam non enituit Virtus Tua, & nusquam non est in pretio ingenua nobilitati Tuæ Humanitas.

Nouerunt hanc sanè pauperes, quos non humanitate tantùm verè paternâ, sed & munificentiâ solitus es prosequi planè magnificâ, & quæ exiguis Ruremundensis Episcopatus Prouentibus contineri commodè, aut circumscribi non poterat: vbi amplæ non suppetebant opes, amplæ erant manus, animus verò amplissimus. Nemo vnus Eleëmofynam qui petierat, indonatus à Te abscessit. Iucundum erat spectaculum, post fatale Ruremundæ incendium quod totam penè Urbem deuastarat, videre pium Præsulem tuguria, cauernas potiùs dixerim & ergastula inter rudera ab incolis extructa, subeuntem, liberalique Eleëmofynâ singulorum necessitati succurrentem, oblitum suæ. E cineribus combustæ Urbis nouam dixeris flammam emeruisse, quâ pectus sacrum insolitâ Charitate deflagraret. Sanè prostratâ Ruremundâ, stetit Præsul: omnibus per incendium cum Episcopali palatio amissis, ad eò vt nihil quidquam aut opum, aut supellectilis domesticæ superesset, superfuit tamen animus qui sufficeret vniuersis.

His artibus Ecclesiam Tibi concreditam dum demereris *forma gregis factus*, quis tum miretur  
gregi



## D E D I C A T O R I A.

gregi Te in amoribus fuisse, Teque non nisi summo sensu à tam charis agnis fuisse auulsam? Hos dum propugnans intrepidè, fuère quidam qui nescio quò studio Virtuti tantæ se opponerent, jurisdictionique feliciter exercitæ intercederent; & quamquam magnis animorum motibus acta sit res, constantiam tamen pro Ecclesiâ suâ stantis Episcopi labefactare non potuit tempestas illa, quæ alium dejecisset. Neque vñquam aliàs magis patuit quæ Tibi intus esset mens, quàm sincera, quàm fortis, quàmque impauida, quàm cum credebatur maximè obruenda. Sic fit: numquam lætior est Virtus, quàm dum impetitur; & numquam bona causa triumphat magis, quàm lacef-  
sita.

Sic denique benefactorum Conscientiâ munitum pectus quid audeat, & quid possit, exempla habemus & in Fratrem Tuo, & in Te. In Fratrem ostensum est quid sit fortiter mori; in Te quid sit generosè viuere. Vtrumque est Conscientiæ rectè agentis & compositæ beneficium, & Gaudium. Hoc perpetuum Tibi vt sit, Præsul Illustrissime imprimis ex animo precamur: & verò perpetuum quod sit, Tute Tibi facis.

Dioecesim veterem cum Gandensi Ecclesiâ Superiorum iussu permutasti, ne sola Geldria tanto bono frueretur; sed Patris animum, optimique  
\*\*\*\* 2
Pastoris



## DEDICATORIA.

Pastoris sollicitudinem, quam virtus Tibi ingenuit, ubique circumfers. Vtinam tantæ Menti, & in sancta omnia exporrectæ, valetudo corporis obsecundet, neque ad magna assurgentem animam defectæ vires interpellent. Hoc sanè votum est omnium, vt Virtute tantâ Flandris detur diu frui, & Gaudere. Ita imprimis vouet Præsul Illustrissime

GRATIÆ TVÆ

Seruus & cliens obsequentissimus

ALFONSVS ANTONIVS DE SARASA  
Societatis IESV.